



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Cap. II. De Præcepto Eucharistiæ, ejus effectum, & dispositione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

*hoc*, diceretur *illud*, quia *ly illud* non demonstrat rem præsentem. 2. Si dicatur *ibi* vel *hic* adverbialiter, quia voces illæ significant tantum Corpus esse in pane, vel Sanguinem in vino, non autem veram conversionem panis in Corpus, aut vini in Sanguinem. 3. Si pro *ly Corpus* dicatur *caro*, quia Corpus plus significat quam *caro*, Corpus enim est totum integrale constans non solum ex carne, sed etiam ex ossibus, nervis, &c. 4. Si dicatur *Hoc Corpus est meum*; nam transpositio illa mutat sensum. 5. Si dicatur, *Hoc est Corpus Christi*.

*Resp. III.* Hæc verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei*, aut illis æquivalentia ad validam consecrationem secundum multos sufficiunt; & probant. 1. Ex Patribus, qui nulla alia verba pro forma assignant. 2. Quia ista verba perfecte significant præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini: verba autem formæ, utpotè practica, efficiunt id quod perfecte significant.

## CAPUT II.

*De Præcepto Eucharistia, ejus effectu, & dispositione.*

Q. I. **A**N extat præceptum sumendi Eucharistiam?

*Resp. I.* Extat præceptum divinum aliquando

do eam sumendi. Patet ex Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. non habebitis vitam in vobis.* Et ex Trid. sess. 13. c. 2. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spirituales animarum Cibum, &c.* quod ad omnes spectat. Hoc præceptum, ex communi, adultos obligat 1. Pluries in vita, nam ex Trident. loco cit. Eucharistia instituta est per modum cibi spiritualis, quo anima nutriatur & confortetur, & necessaria ex præcepto ut cibus: ergo non raro ex præcepto sumenda est. Christus tamen non determinavit frequentiam sumptionum, sed reliquit determinandam ab Ecclesia, quando fidelium negligentia id exigeret. 2. Obligat in quovis probabili mortis periculo, ut in gravi morbo, instante conflictu, difficili partu, periculosa navigatione, incisione, &c. constat tum ex Conc. Nic. 1. can. 13. ubi vocat Eucharistiam ultimum & necessarium Viaticum; unde statuit, ut juxta antiquam & Canonicam legem moribundis detur: tum ex consuetudine totius Ecclesiæ ministrandi Eucharistiam omnibus in periculo mortis versantibus, & eam in hunc finem sollicitè asservandi, semper & ubique observata, quæ ostendit id ex traditione Apostolorum à Christo edoctorum manasse: tum quia nunquam potest esse magis necessitas hujus cibi instituti ad conservandam & roborandam vitam spirituales, contra tentationes ac difficultates, quam in periculo mortis;

Tom. III. S in quo

in quo solent esse graviores, & ex quo pendet ultimò æternitas, & imminet ultima lucta cum hoste ad decidendum de salute æterna.

*Resp. II.* Omnes & singuli fideles utriusque sexus, cùm ad annos discretionis pervenerint; tenentur singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ. Ita Trid. sess. 13. can. 9. ubi hoc negantes anathematizat. Et ex Conc. gener. Later. 4. c. *omnis* de Pœnit. & rem. circa quod observanda sunt sequentia.

I. Pueri tenentur ad Communionem, quando habent sufficientem usum rationis ad discernendum Corpus Christi ab aliis cibis, & ad illud reverenter ac devotè sumendum sunt idonei, quod aliis citiùs: nempe circa annum 10. aliis serius scilicet circa 14. contingit; licet pueri priùs censeantur obligari ad Confessionem, quia ad Communionem plus requiritur discretionis & devotionis ac reverentiæ. Nam ita Ecclesiæ consuetudo interpretatur præcepta Confessionis & Communionis pro materia subjecta & Eucharistiæ dignitas singularis exigit maturiorem ætatem, & majorem discretionem, ut possit convenienti devotione ac reverentia sumi. Quare ætas, qua urget obligatio communionis est intra annum 10. & 14. ita ut nemo ultra differat, si sit sufficienter instructus, & rectè dispositus: quia saltem communiter neque ante 10. incipit, neque ultra 14. differtur plenior usus rationis

tionis requisitus. In periculo tamen mortis puero capaci Confessionis, & sufficienter instructo dandum est Eucharistiæ Viaticum: nam in eo periculo versatur, in quo non expectat tempus commodius ad Eucharistiam cum meliori dispositione recipiendam, ut præcepto divino satisfaciat; & aliunde potest reverenter sumere, & probare se sufficienter per Confessionem ne indignè sumat.

2. Per Pascha, ex Eugen. 4. Bulla *Fide digna*, & usu Ecclesiæ intelligitur tota quindena à Dominica Palmarum ad Dominicam in albis inclusivè. Tamen in variis locis sive ex consuetudine, sive ex privilegio, sive ex necessitate plus temporis conceditur.

3. Communio Paschalis fieri debet in propria Parochia, & sumenda de manu proprii Sacerdotis, vel ejus delegati. Constat ex Ritualibus & variis Synodis, & ex consuetudine vim Legis habente, & ita interpretante can. Conc. Later. unde S. Congregatio Cardin. declaravit an 1682. Sæculares non satisfacere præcepto Ecclesiastico per Communionem factam in Ecclesiis Regularium. Sacerdotes tamen sæculares ex consuetudine satisfaciunt celebrando in Ecclesia, cui addicti sunt per suas functiones.

4. Vagabundi tenentur Eucharistiam suscipere in ea Parochia, in qua eo tempore versantur; nam ibi sunt verè subditi, & non habent alium certum Parochum vel Pastorem; unde

ibi censentur habere domicilium eo modo, quo illius sunt capaces. Ita Suarez l. 9. de Instit. Soc. c. 3. ubi idem ut verius censet de Peregrinis; quia reputantur tanquam incolæ illius loci in quo tempore Paschali inveniuntur, ut declaravit Eugen. IV. & Parochus illius loci est proprius eorum Sacerdos; nisi tamen ipsius Parochi interveniat licentia saltem tacita, quæ ex consuetudine innotescit.

5. Confessor potest ex justa causa Communionem Paschalem pœnitentis ultra quindenam differre, ex Conc. Later. c. *omnis* cit. motenetur, si iudicet differendam esse absolutionem: et verò cum Communio pendeat ab absolutione, qui potest ac debet hanc differre, potest quoque ac debet illam.

6. Huic præcepto communicandi non satisficit per Communionem sacrilegam. Nam 1. Innoc. XI. oppositum damnavit. 2. Ecclesia expressit in præcepto modum excludentem Communionem sacrilegam, nam c. *omnis* præcipit ut omnes suscipiant *reverenter*, idèque non sacrilegè. Præceptum autem non servatur, nisi servetur modus præcepti in ipso præcepto expressus, cum ipse præcipiatur. 3. Præceptum Ecclesiæ est determinatio præcepti divini de sumptione Eucharistiæ pia ac fructuosa, qua anima alatur & ejus vita confortetur ac augeatur, ex I. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Et ex Trid. sess. 13, c. 2. *Sumi voluit Sacramentum hoc,*

hoc, tanquam spiritualem animarum Cibum, quo alantur, & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me, &c.

7. Qui ante quindenam in sua Parochia Eucharistiam sumpsit, tenetur iterum sub mortali eam ibi sumere intra quindenam. Nam quando per præceptum determinatur tempus, non impletur saltem integrè, nisi eo tempore: sicut qui die sabbati audivit Missam, non est immunis ab obligatione eam audiendi die sequenti. Deinde non satisfecit præcepto Eucharistiam in Paschate suscipiendi. Hinc a grotis Parochialibus etiamsi Communionem extra præscriptos Paschales dies sumpserint, in Paschali- bus diebus illam deferet, ac ministrabit (Parochus) ait Rituale Roman.

8. Qui intra quindenam non communica- vit, tenetur adhuc postea intra eundem an- num quam primum communicare. Quia hoc præceptum non est sicut præceptum je- junandi vel audiendi Missam tali die, sed con- tinet virtualiter duo Præcepta, alterum com- municandi in Paschate: ita ut Communio an- nua primariò propter se præcipiatur ad im- plendum præceptum divinum sæpe in vita communicandi, nec alligetur Paschæ sicut fa- cri auditio affixa est diei festo. Quod satis indicant hæc verba legis Conc. Later. ad mi- nus in Pascha, & ista Trid. semel in anno, alterum communicandi in paschate. Et verò Ecclesia

debut, exigente fidelium negligentia, determinare tempus observandi præceptum divinum communicandi pluries in vita, ideoque & obligare ad Communionem post Pascha eos, qui in Paschate omisissent: ergo cum adhuc servari potest præceptum Ecclesiæ quantum ad id, quod est magis principale, durat obligatio toto anno, donec impleatur.

Imo juxta Suarez, Azor, Reginal, & alios est obligatio continua communicandi quam primùm moraliter fieri potest, post Pascha; ita ut semper nova culpa admittatur, quoties datâ opportunitate non impletur; quia tempus Paschæ non est tantùm determinatum propter solemnitatem, & majorem congruentiam hujus temporis, sed etiam ne diutius differatur Communio: unde præceptum est affirmativum quatenus præcipit Communionem, & simul implicitè negativum, quatenus prohibet ejus dilationem ultra Pascha; & probant etiam ex usu Ecclesiæ, nam qui Communionem omisit, Censuris & minis compellitur, ut quamprimùm communique. Aliud est de auditione Sacri, quæ præcipue præcipitur ob diem sacrum & in illius honorem, tanquam onus affixum diei, sic ut eo transacto non obliget, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Sicut ergo cum tributum exigitur in certum diem, eo transacto statim semper solvi debet, ita &c. Hinc qui toto anno non communicavit, tenetur in Confessio-

nedi-



ne dicere quoties id per annum omisit, cum posset commodè, nam toties peccavit. Sed Delugo docet tunc remanere obligationem communicandi, non quidem statim post Pascha, sed solum ante finem anni; quia, inquit, cum præceptum communicandi in Paschate nequeat jam observari, nec proinde obliget; solum manet obligatio alterius præcepti communicandi saltem semel in anno: hoc autem non obligat ad communicandum hoc mense potius quàm illo, sed ad communicandum semel hoc anno. Addit Censuram infligi solum propter transgressionem præteritam præcepti, quod obligabat sub Censura infligenda à Prælo, qui non vult eam exequi, nisi in eos, qui statim non communicaverint.

9. Qui prævidet se non habiturum opportunitatem communicandi in Paschate, nec postea hoc anno, tenetur prævenire: quia tenetur singulis annis communicare: obligatio autem quæ cadit in totum tempus, impleri debet initio, si in decursu vel in fine impleri nequeat: nam urget in ea temporis parte quâ potest impleri; ut patet in præcepto audiendi Missam, quàm tenetur primo mane audire, qui postea non poterit, quia præceptum obligat pro illo die, prout impleri potuerit. Qui verò tempus prævenit, tenetur denuò communicare, si postea possit, in Paschate; quia non satisfecit huic alteri obligationi commu-

nicandi in ipso Paschate, & jam potest ei satisfacere.

10. Ad veram Communionem necesse est, ut Eucharistia per os in stomachum trajiciatur, & in eo recipiatur: nam hoc requiritur ad veram manducationem & sumptionem alimenti. Unde si quis tamdiu teneret hostiam in ore, ut in eo dissolverentur species, aut si moreretur antequam in stomachum descendisset, re ipsa non communicasset, nec reciperet gratiam.

*Not.* Non licet plusquam semel eodem die communicare, ut constat ex omnium consensu, ex consuetudine vim legis habente, & ex c. 3. de celebrat. & c. *sufficit.* de consec. dist. 1. qui Canones licet loquantur de solo Sacerdote, tamen ab omnibus extenduntur ad Laicalem Communionem; & merito: nam facilius Sacerdoti ob utilitatem totius Ecclesie permitti potest bis celebrare. Ratio prohibitionis est reverentia tanto Sacramento debita, & ut aptius repræsentaretur unica Christi mors, quæ semel contigit. Hinc si quis eo die, quo communicavit, incidat in periculum imminens mortis, juxta Doctores omnes, aut ferè omnes, inquit Delugo, non ei licet iterum eadem die communicare: quia nunquam licet bis communicare eadem die extra Missam, nisi quando propter reverentiam Eucharistie necesse est, ut ab aliquo consumatur. Neque tunc est necessitas secundæ Com-

Com-

Communionis: talis enim jam satisfecit præcepto divino communicandi in fine vitæ; nam communicavit tempore proximo mortis, ac proinde moraliter censetur communicasse in periculo mortis, licet id ignoraret.

*Q. 2. Quinam sunt Eucharistiæ effectus?*

*Resp. Hi. 1. & principalis est nutritio & confortatio animæ, ac augmentatio in vita spirituali, nimirum gratiâ sanctificante & charitate. ex Joan. 6. Caro mea verè est cibus, &c. ex Florent. in decreto de Sacram. ibi: Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignesumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augetur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quo ad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritua-*

*lem: in quo gratiam salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum. & ex Trid. sess. 13. c. 2. Hæc autem nutritio & confortatio spiritualis consistit partim in augmento gratiæ habitualis, partim in gratiis actualibus uberioribus, quæ suo tempore intuitu Eucharistiæ perceptæ dantur, ad charitatem conservandam & augendam per opera meritoria; nisi tamen gratiis illis per*

peccata etiam venialia deliberatè vel frequenter commissa obex post ea apponatur.

2. Liberat à peccatis venialibus.

3. Præservat à mortalibus, Trid. cap. 2. cit. per gratias scilicet actuales, quæ illius intuitu dantur ad superandas tentationes & servanda mandata cum urgent, & mediante illâ præservatione operatur perseverantiam in gratia, & per eam gloriæ consecutionem, juxta Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Si tamen homo gratiis illis non resistat.

4. Est delectatio spiritualis, ex Florent. supra cit. & ex Conc. Vien. Clement. de reliquis, &c. ibi. *In quo habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.* Sed hæc delectatio spiritualis sæpe non est sensibilis, & impeditur per negligentiam, teporem, distractionem communicantis, vel affectum ad delectationes terrenas.

5. Imminuit concupiscentiæ fomitem, tum augendo charitatem, nam ex S. August. augmentum charitatis est diminutio cupiditatis; tum per gratias actuales, quibus excitantur pii motus contrarii motibus concupiscentiæ.

Denique Eucharistia influit in gloriosam resurrectionem corporum, in quantum Deus ad vivificanda ista corpora movetur per conjunctionem, quam habuerunt cum vivificante Christi carne, ex Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam*

vitam eternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die.

Ex quibus patet quàm utilis & expetenda sit frequens Eucharistiæ sumptio, modò fiat cum debitis dispositionibus.

Q 3. Quenam dispositiones ex parte anime requiruntur ad Eucharistiam?

Resp. I. Sub mortali requiritur status gratiæ. Prob. I. ex I. Cor. 11. *Quicumque manducaverit indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini... judicium sibi manducat, non dijudicans Corpus Domini.* Sed qui est in peccato mortali, manducat indignè. Ergo 2. ex Trid. sess. 13. cap. 7. 3. Quia peccator gravem injuriam ac irreverentiam admittit in Christum; eum suscipiendo in statu inimicitiae, & peccati, quod ei infinitè displicet, & quantum in se est falsam reddendo significationem tanti Sacramenti, illudque effectu suo privando: nam cum sit institutum per modum cibi & potus, ad augendam, roborandam, & conservandam spiritualem vitam animæ, quæ est gratia sanctificans & charitas, illam præsupponit; nec enim cibus datur aut prodest mortuo. Quod sacrilegium gravissimum est, nam eò gravius est sacrilegium quò persona vel res sacra, quæ indignè tractatur, sanctior est.

Porrò S. Franciscus Salesius, in sua introductione tum immunitatem ab omni peccato mortali & ab omni affectu ad quodvis veniale,

tum

tum magnum desiderium communicandi exigat ad communicandum octavo quoque die.

*Resp. II.* Qui sibi conscius est peccati mortalis, per se loquendo ante Communionem tenetur jure divino confiteri. Constat ex Trid. sess. 13. cap. 7. in hunc sensum explicante hæc verba Apost. 1. Cor. 11. *Probet seipsum homo. & can. 11. ubi ait: declarat S. Synodus illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem sacramentalem.*

Dixi, *per se loquendo*, nam si urgeat necessitas communicandi, & desit copia Confessoris, sufficit & requiritur contritio perfecta, ex eod. cap. 7. & praxi fidelium: quia cum finis intentus, nempe status gratiæ requisitus ad Eucharistiam, possit etiam absque Confessione obtineri per contritionem perfectam; non debuit præceptum tunc confitendi ita strictè obligare, ut nulla prorsus necessitas excuset. Hæc necessitas urgere, ex communi, cénsetur. 1. Quando morituro, Viaticum dari debet, & deest Hostia consecrata. 2. Si Sacrificium, vel Communio sine gravi infamia, aut scandalo omitti nequit, ex Missali Romano, de defect. 3. Cum post consecrationem Sacerdos meminit peccati mortalis, ex Missali Romano. 4. Juxta multos quando Parochus die Festo debet celebrare, nec potest alium substituere.

Porro

Porro Sacerdos qui in tali necessitate celebravit non confessus, tenetur postea quam primum confiteri, ita præcipit Trid. cap. 7. sic: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quam primum confiteatur.* Id est, ut explicat Missale Roman. *cum primum poterit, debet confiteri.* circa quod Alex. VII. damnavit has duas propos. 38. *Mandatum Tridentini Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.* 39. *Illam particulam (quam primum) intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Quare confiteri tenetur, statim atque habuerit copiam Confessoris, etiam ipso die celebrationis, si sine magno incommodo possit. Dilatio autem licet parva quoad tempus, est magna relatè ad finem præcepti, proindeque mortalis, ob periculum celebrandi iterum sine Confessione. Copia autem Confessoris censetur deesse, cum absque gravi incommodo seu damno adiri nequit.

*Not.* Qui jam confessus est, sed inculpate omisit mortale, tenetur illud confiteri ante Communionem, si absque gravi scandalo & infamiae periculo possit (quale dicitur esse plerumque, si jam sacra mensæ astaret) & hæc est praxis fidelium: nam est præceptum divinum confitendi ante Communionem omnia mortalia, quæ quis recordatur, ex Trid. sess. 13. c. 7.

13. c. 7. & can. 11. unde oppositum fuit expunctum in S. Fidei Tribunali Hispano.

*Resp. III.* Requiritur, ut cum magna devotione & reverentia sumatur Eucharistia. Ita S. Thom. 3. p. q. 80. a. 10 & per se patet: nam id summa Christi majestas tanto cum amore se totum creaturæ communicantis omnino exigit. Deinde devotio actualis requiritur ad aliquos effectus secundarios recipiendos; quamvis enim, secundum S. Thom. & communem sententiam, ad recipiendum augmentum gratiæ sanctificantis sufficiat status gratiæ, eò quòd solum peccatum mortale sit obex gratiæ sanctificantis, quippe quæ cum veniali consistere possit; & Sacramenta ex opere operato gratiam conferant non ponenti obicem: tamen devotio actualis necessaria est ad recipiendum dulcedinem spiritualem, fervorem, & majus augmentum gratiæ habitualis, multasque gratias actuales speciales; nam Sacramenta ad modum causæ necessariæ efficiunt plus aut minus pro perfectiore aut imperfectiore dispositione subjecti, ex Trid. sess. 6. c. 7. unde solus defectus devotionis actualis, secuso contemptu & scandalo, est grave veniale. Item ad remissionem venialium prærequiritur depositio omnis affectûs ad illa, & displicentia aliqua saltem virtualis illorum. Hinc Filiucius hæc ait: qui ex consuetudine multa venialia committit, & sentit se gravatum eorum conscientia; & hic sine



si sine dolore eorum accedat, videtur peccare venialiter: quia ponit obicem aliquibus effectibus, ut eorum remissioni & fervori charitatis; & quia est aliqua irreverentia.

*Resp. IV.* Devotio actualis, quam exigit Eucharistia, postulat ut cum fide vivâ, spe firmâ, charitate ardenti, & magna humilitate suscipiatur; atque etiam ut conjuges ab actu conjugali se abstineant saltem die Communionis: quia hic actus propter delectationem carnalem mentem deprimit, distrahit, & à spiritualibus avocat; & raro ob corruptionem naturæ sine culpa veniali exercetur, præsertim ab exigente. Si tamen actus ille fiat solum prolis gignendæ vel reddendi debiti causâ non impedit Communionem, ex S. Greg. in c. *vir* 33. q. 4. nam licet in copula intercedat voluptas, & corporalis immunditia, tamen cum hæc accidant ob bonum finem, nec voluptas intenta sit; honestas finis hanc indecentiam compensat, & impedit ne mens tantum deprimatur ac distrahatur. Qui verò ob voluptatem copulam exigit, regulariter venialem culpam admittit contra Religionem, si eo die communicet, quia voluptas in eo actu quæsita mentem absorbet, & multum deprimit ac distrahit, ineptamque orationi reddit, & sic impedit devotionem actualem. Ita commun. ut constat ex Sanchez.

Dixi, *regulariter*, quia possunt subesse aliqua justæ causæ, ob quas Communio tunc licita

cita

cita sit post elicitam de culpa contritionem, ut Jubilæus, scandalum vitandum, &c. A fortiori qui pollutionem voluntariam, vel aliud grave peccatum admisit, non debet statim, etsi contritus & absolutus Eucharistiam sumere, nisi urgeat aliqua necessitas, & aliud Confessario videatur, ut ait Missale Romanum ob indecentiam, tum quia talis non potest statim devotionem actualem debitam habere, propter distractionem, cogitationem turpium, recordationem delectationis obscenæ, & infirmitatem ex peccato relictam. Imo ex quadam decentia ab Eucharistia abstinendum est ob pollutionem nocturnam involuntariam, dum mentem perturbat ac distrahit, nisi videatur à Dæmone ad Communionem impediendam procurata, vel nisi adsit aliqua necessitas, vel singularis utilitas, aut scandalum ex omissione timeatur. S. Thom. 3. p. 1. q. 80. a. 7.

*Not.* Devotio, reverentia, & gratitudo Christo debitæ, exigunt aliquod tempus poni post Communionem in gratiarum actione, piâ occupatione animæ cum Christo, per actus fidei, spei, charitatis, &c. & teste S. Theresia illud tempus est pretiosissimum ac saluberrimum, proinde non ita contrahendum. Non licet autem statim post communionem expuere, ob periculum, & irreverentiam. Præterea S. Carol. Act. p. 4. in instruct. Euchar. monet eos, qui Eucharistiam susceperunt;

runt, ut animi cogitationes, sensus omnes, & linguam cobibeant; abstineantque precipue eo die à verbis otiosis, cogitationibus inanibus; sed in sanctis meditationibus, precibus, divinorum Officiorum frequentia, Ecclesiis etiam frequentandis, aliisque pietatis Officiis, atque operibus versentur, ... & curent à sui intima custodia non alienari.

**Q. 4. Quanam ex parte Corporis necessaria est dispositio?**

*Resp. I.* Jure naturali requiritur exterior habitus, & corporis compositio, quæ internam animi reverentiam & devotionem exhibeat: nam debetur huic Sacramento non solum interna, sed etiam externa veneratio summa, & adoratio, cum Christus mediis speciebus sensibili quodam modo in eo existat, & tractetur. Non licet autem communicare, si sit periculum evomendi, ob gravem irreverentiam.

Porro quoad sordes corporeas, id docet De Lugo, etsi secundum se non impediunt à Communionem saltem in occulto, cum Eucharistia sit solum cibus animæ, cujus mundities exigitur: decencia tamen, & reverentia tanto Sacramento debita exigit, ut si sordes ejusmodi facile possint auferri, auferantur. Item si brevi cessabunt, & potest commodè differri Communio, aliquando semel, aut iterum differatur. Quando tamen longius durant vel

merè occultæ sunt, ut contingit in menstruo, non est cur aliquis alimoniâ cœlesti priveretur.

*Resp. II.* Ex lege Ecclesiastica, & consuetudine constanti vim legis habente, requiritur sub mortali jejunium naturale, consistens in eo quòd nihil omnino, per modum cibi, vel potûs, vel Medicinæ, à media nocte præcedente, ab ore in stomachum trajiciatur. Constat 1. ex sensu & praxi Ecclesiæ, 2. ex S. Aug. Epist. 118. *Placuit spiritui S. ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi.* Nam ideò per universum orbem mos iste servatur. Hancque consuetudinem docet ab Apostolis mansisse. Enim verò semper servata fuit, nec ab ullo Concilio vel Papa instituta fuit: at (ut ait S. Aug. ibid.) *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insanix est.* 3. Ex cap. 5. de celebrat. & ex Conc. Carthag. 3. can. 29. Tolet. 7. can. 2. & Constantiensi sess. 13. ibi... *Sacrorum Canonum auctoritas; & Ecclesiæ approbata consuetudo servavit, & servat, quòd hujusmodi Sacramentum non debet confici post Cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à jure, vel Ecclesia concessio, vel admissio.*

In hoc non datur levitas materiæ, ut constat ex Ecclesiæ sensu, & consuetudine, quæ est optima legum interpreter, & ex Conc. Tolet. 7. c. 2. & Missali Romano, de defect. ubi ait:  
Si quis

*Si quis non jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potûs aut cibi, per modum etiam medicinæ, & quantumcumque parvâ quantitate, non potest communicare nec, celebrare.* Idque tum ob reverentiam & honorem Eucharistiæ, ut cœlestis ille cibus præponatur cuilibet cibo & potui terreno, & ut fideles assuescant discernere inter hunc divinum cibum, & alios communes: tum ob spiritua-lem significationem, quòd Christus debeat esse primus ac primarius eorum cibus, & in cordibus primò fundari. Et verò quælibet sumptio est contra principale prohibitum: nam prohibetur communio post sumptionem cujuslibet rei per modum cibi vel potûs vel medicinæ.

*Observa. 1.* Cùm hoc præceptum sit merè positivum, non obligat in his casibus ab Ecclesia expressè vel tacitè exceptis, in quibus vel necessitas hominis, vel reverentia Sacramenti aliud exigat. 1. Cùm in probabili articulo mortis Viaticum sumendum est ei, qui jejunus sine gravi incommodo communicare nequit. Nec tunc differendum est post mediam noctem, ut statim æger illud jejunus recipiat; nam id non fert usus Ecclesiæ ob nimiam difficultatem, & ob Sacramenti reverentiam, quippe eo tempore non potest sæpè cum debito decore, comitatu, & securitate deferri. Non licet tamen Sacerdoti non jejunato celebrare ad dandum Viaticum mori-  
T 2
bunda

bundo, sicut nec consecrare in fermentato, vel sine vestibus sacris, aut omisso ritu Sacrificii: nam consuetudo Ecclesiae ita interpretatur praeceptum divinum Viatici sumendi, scilicet ut non debeat dari, nisi quando dari potest secundum ritum & ordinem ab Ecclesia praescriptum in Eucharistia conficienda & ministranda, & modo convenienti ac in debitis circumstantiis. Et verò cum Eucharistia non sit absolute necessaria ad salutem, major habenda est ratio reverentiae ei debitae, & uniformitatis servandae in ritu Sacrificii, quam utilitatis privatae proximi: nam communinecessitati Ecclesia satis providit praecipiendo Eucharistiam in sacrario asservari ad Viaticum. Ob casum autem rarum lex generalis, & uniformitas in ritu omitti non debet. 2. Quando perficiendum est Sacrificium, ut cum Sacerdote post consecrationem deficiente non adest nisi Sacerdos non ieiunus, qui illud absolvat. Item cum Sacerdos advertit in Calice non fuisse nisi aquam, cuius iam partem sumpsit; tunc enim debet consecrare vinum, & consecratum sumere; vel cum post consecrationem recordatur se non esse ieiunum: nam lex divina faciendi Sacrificium perfectum ac integrum praevalet legi Ecclesiasticae de ieiunio. Quòd si Sacerdos ante consecrationem advertat se non esse ieiunum, tenetur recedere, si potest sine gravi scandalo. 3. Quando post abluionem relictæ sunt reliquiae

quæ aliquæ in hac Missa consecratæ, etsi magnæ sint, dum facillè recondi nequeunt in pixide & Sacrario: nam ad idem Sacrificium spectant, & sumuntur per modum unius refectionis. Non licet tamen tunc sumere particulas alterius Sacrificii, quæ sunt in Ciborio ad illud expurgandum. 4. Si periculum sit, ne alioqui Eucharistia ab infidelibus profanetur: nam lex divina obligat ad impedienda sacrilegia, cum impediri possunt; & quod in reverentiam Eucharistiæ statutum est, non debet obligare ad non impediendam eius profanationem & irreverentiam.

*Observa. 2.* Jeunio naturali, ideóque communioni, nunquam obstant ea, quæ per modum salivæ vel respirationis in stomachum decidunt, ut reliquiæ minimæ vini aut aquæ, quibus os abluitur, mixtæ copiosiori salivæ, & reliquiæ ciborum dentibus adhærentes, ac postea casu traiectæ. *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ.* Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem. ait Missale Roman. item Sanguis vel humor è capite defluens, & juxta varios culex, aut floccus nivis per respirationem attractus, non obstant jeunio naturali, nec proinde Communioni: nam ista aut non sumuntur ab extrinseco, aut non sumuntur per modum cibi, vel potûs, vel medicinæ. Secùs, si sac-

si saccharum, glycirriza, vel quid simile, quod sensim in ore liquefcit, simul cum saliva in stomachum decidat, licet ante mediam noctem sumptum fuerit: quia quod sic liquefcit, non deglutitur per modum salivæ, sed censetur esse id quod principalius trajicitur. Et tunc est continuata comestio cibi, quæ fit per continuam liquefactionem & trajectionem. Idem dic de reliquis cibi, quæ datâ operâ traiciuntur: nam tunc non possunt dici per modum salivæ deglutiri, sed verè comeduntur. S. Thom. 3. p. q. 80. a. 8 ad 4. S. Antonin. expaludan. Ita etiam Vasquez, Delugo, &c. & Suarez dicit ut securiorem eligendam.

An autem quæ à stomacho nec alterari nec digeri possunt secundum ullam sui partem, ut lapillus, globulus plumbeus, frustum ligni, &c. impediant Communionem, si deglutiantur? Alii affirmant; quia sumptio cuiuslibet rei prohibetur, ut fideles intelligant cuilibet rei creatæ hunc cibum esse præponendum: Alii probabilius negant: eo quod non habeant rationem cibi, vel potûs, vel medicinæ. De his verò quæ sumuntur per modum gustationis, sicut coci faciunt, qui cibum & potum supra linguam ponunt solum ad probandum, & statim projiciunt, videtur quod non impediat (Communionem) sicut si quis velit probare num sit aqua, vel vinum album, quod sibi ministratur. Quia non est cibus nec potus, ex quo non deglutitur: ait S. Antonin. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 8. addit, neque



que impediri si aliqua horum particula mixtae salivae praeter intentionem descenderent, ut dictum est de reliquiis aquae, cum os abluatur.

*Observa. 3.* Post cibum paulò ante mediam noctem sumptum non requiritur somnus, aut cibi digestio ad communicandum. Missale Roman.

*Q. 5. Quinam licite possunt Eucharistiam dispensare?*

*Resp. I.* Soli Sacerdoti competit potestas ordinaria dispensandi Eucharistiam, ex Trid. sess. 13. c. 8. nam hæc commissa est iis solum, qui possunt illam conficere, & ad quos spectant illa Christi verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Tamen ex ejus commissione potest Diaconus illam ministrare, ut constat ex praxi veteris Ecclesiae; non autem Subdiaconus, ut constat ex communi Doctorum consensu, & universali consuetudine Ecclesiae. Et verò Diaconus habet ex sua Ordinatione in ordine ad hanc functionem aliquid plusquam alii Clerici inferiores; non quòd habeat ex sua Ordinatione potestatem distribuendi; sed quia consecratur peculiariter in Ministrum immediatum Sacerdotis, & supremum inter Ministros, atque adeò ad ministrandum & intervendum Sacerdoti in rebus Superioribus & dignioribus, quarum præcipua est distributio Eucharistiae. Verum ex usu

præsenti Diaconi id non possunt sine Licentia Episcopi ob iustam causam, nisi in necessitate dandi Viaticum.

*Resp. II.* Sacerdoti non licet Eucharistiam ministrare, sine jurisdictione ordinaria, vel delegata, aut privilegio; quia Pastorum munus proprium est pascere, quod fit per Sacramenta. Unde mortale est id facere sine jurisdictione vel facultate, saltem generali & interpretativa; nam est propria auctoritate usurpare jus alienum in re gravi contra debitam gubernationem, & ordinem Ecclesiæ; idem dic de alio Sacramento. Si tamen Pastor absit, vel præsens non possit dare Viaticum ægro, tunc quilibet Sacerdos, & eo deficiente Diaconus potest ac debet ministrare: nam tunc præsumitur voluntas Episcopi, vel Papæ, cum Eucharistia sit tunc jure divino præcepta, & maximè utilis sit, imò aliquo modo necessaria ad vires spirituales in illo periculoso agone comparandas: neque enim Jurisdictio requiritur ad ministrandam Eucharistiam, tanquam aliquid pertinens ad substantiam ministratio- nis, sicut pertinet ad substantiam ministratio- nis Pœnitentiæ, sed solum ad debitum ordi- nem, & modum servandum in gubernatione populi Christiani. Unde ad illud, non ad hoc sufficit voluntas præsumpta.

*Not.* Est mortale Eucharistiam sub utraque specie panis & vini dare: ex Conc. Constant. & ex recepta consuetudine, vim legis habente  
& ap-

& approbata à Trid. sess. 21. c. 2. Item eam distribuere sine stola, Superpelliceo, vel Alba; quia est contra reverentiam ei debitam, & Præceptum Ecclesiæ.

## CAPUT III.

### *De Missæ Sacrificio.*

Q. I. **A**N Eucharistia est verum Sacrificium?  
 Resp. **A**ff. Est de fide, ex Trid. sess. 22. can. 1. 2. & 3. Ratio est, quia Sacrificium propriè dictum est oblatio externa substantiæ sensibilis, per ejus realem immutationem facta Deo, in testificationem supremi Domini Dei in omnes creaturas, & harum ad eum subjectionis. At hæc omnia conveniunt Eucharistiæ; nam per eam offertur Deo Corpus & Sanguis Christi, quæ sunt sufficienter sensibilia per species consecratas; & per actionem sacrificantis immutantur, quatenus per eam ponuntur Corpus & Sanguis sub speciebus corruptibilibus in statu realiter diverso, & inepto ad usus naturales ac humanos Corporis & Sanguinis, atque tendente ad destructionem seu desitionem, quatenus, speciebus corruptis, necessariò ibi desinunt esse Corpus & Sanguis Christi. Fitque hæc oblatio ex institutione Christi ad agnitionem supremi Dei in res omnes Domini, quod nempe sit ipse autor supremus rerum omnium, Dominus vitæ